# In Caput 39num De Mensura Ciborum Expositio.

A

Sufficere credimus ad refectionem quotidianam, tam sextæ quam nonæ, omnibus mensis cocta duo pulmentaria, propter diversorum infirmitates; ut forte qui ex uno non potuerit edere ex alio reficiatur. Constituit in hoc capite S. P. filiis suis annonam quotidianam quamvis cum aliqua scrupulositate propter varias complexiones, imò et regionum temperies, prout capite sequente fatetur. Ideo nulla magis, quam in victualibus omnia reliquit in arbitrio et potestate abbatis remotâ pro omnibus crapulâ et superfluitate. Permittit ergo duo pulmentaria, quo nomine non tantum intelliguntur pultes, sed quælibet obsonia, veluti et ipsas carnes hoc vocabulo notat scriptura Genes: 27. dum Isaacum ad filium sic loquentem inducit. (Cumque venatu aliquid ceperis, fac mihi inde pulmentum, ut comedam. Et cum Christus piscantes discipulos interrogasset, pueri nunquid pulmentarium habetis? Salmeron, Barradius, et alij hoc nomine pisces coctos intellexisse scribunt. Unde Bursfeldenses apud Haeftenum sic loquuntur: (neque ad sola legumina vel olera ~~pu~~ pulmentaria prædicta restringenda est; sed quidquid ex iis cibus quibus vesci licitum est monachis, id est, piscibus, ovis, lacticiniis, et cæteris huiusmodi eis in ~~ed~~ edulium poterit competenter et honestè præparari.

Z.

Ait â S. P.: ut forte qui ex uno non potuerit edere, ex alio reficiatur. ~~a~~ Quæ ad obsonia cocta referenda sunt. quæ is